Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1493
Quelle:
Copyright:

Explicit dyalogus editus a reuerendo Magiſtro Johanne de wyklef ſacre Theologie profeſſore doctorisque ewangelici anglicana nacione &c. cum declaratione Argumenti hujus Opuſculi.

II. *fol.* 27. ſequitur Ejusdem Tractatus *de Simonia*, hoc initio: *Sententia tractatus de ſymonia capitulariter ſic habetur* &c. ut alias.

III. *fol.* 75. *De noua*, ut in calce, *preuaricancia mandatorum*. Incipit: *Cum ſecundum veritatis teſtimonium Matth. 19. ad ingreſſum in patriam* &c. ut alias.

IV. *fol.* 83. Breviuſcula quaedam: 1.) *Epiſtola ad ſimplices Sacerdotes. Videtur meritorium* &c. 2.) *Concluſio de officio Regis. Rex debet ex vi ſui officij* &c. 3.) *Quatuor interpretaciones. Quod clerus regni Anglie* &c. 4.) *De Fundatore Religionis. Salvator noſter diligens* &c. ut *Codd.* pluribus. Mireris ſane Hominum in deſcribendis his minutiis religioſam ſolertiam.

V. *fol.* 87. absque inſcriptione Tractatus de Corpore Chriſti, qui incipit: *Viſum eſt non eſſe inutile, quod quidam tractatus de non remanencia ipſarum ſubſtantiarum panis et vini* &c. et eſt *Stanislai de Znoyma*, ut jam indicatum *Codd.* DXC. et aliis.

VI. *fol.* 115. p. 2. Articuli 3. contra *Joh. Huſſum* oblati *Sbinconi* Archiepiſcopo *Prag.* cum *Huſſi* ad eos Reſponſis. Initium: *Reuerendiſſime pater. Ad inſtantes preces* &c. ut *Cod.* CCLI.

VII. *fol.* 123. Opuſculum de divina Praedeſtinatione absque titulo, quod inchoat: *Uenerabili in chriſto patri et domino, domino N. regis eterni gratia Epiſcopo Reatino frater felicianus ordinis fratrum predicatorum* &c. En quomodo Codices mutuo ſibi opitulentur. Noſter Epiſcopi nomen reticet, Editio ſ. l. anni 1495. qua uſus eſt *Quetifus* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 881. *Jacobum Beatinum* offert, unde *Quetifus* fruſtra quaeſito Epiſcopatu *Beatino* ad otioſiores et Geographiae eccleſiaſticae peritiores ablegat. Scribe Epiſcopum *Reatinum* et habebis *Jacobum Paganum*, qui Sedem *Reatinam* in Ducatu *Spoletano*, teſte *Vgbellio* T. I. p. 1207. ab an. 1299. ad an. 1301. tenuit, quod et aetatem, et aliquatenus patriam *Feliciani*, de quibus haerebat *Quetifus*, innuit. Sunt et aliae Opuſculi hujus editiones antiquae tres, quae annum diſſimulant, quarum una perperam *Cecilianum* pro *Feliciano* praeferre dicitur, altera, ita quidem referente *Maittairio* in *Append.* T. V. in titulo et typographo peccat, *Praedeſtinationem* in *Praedicationem* et *Albertum Kunne* in *Kanne* mutando. Autor Capitibus VII. *Thomae Aquinatis* doctrinam ſequitur.

VIII. *fol.* 137. p. 2. *Vtrum chriſtus omnem ſanguinem, qui de corpore ſuo effluxit, in eodem corpore hora reſurrectionis glorificauit.* Tractatus *Joh. Huſs* impreſſus T. I. *Opp.* 1715. p. 191. f.